



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

79 Titulos superbos respuere, & statuas spernere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

mitatus 7. annis instar quadrupedis vagus per agros erravit, donec sibi redditus errorem agnovit. (Dan. 4.) Hinc S. Ambrosius ad Valentin. Imp. scribit: *epist. 30.* Cùm omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus terrarum, atque Principibus, cum ipsi vos omnipotenti Deo & sacrae fidei militetis. Et S. Augustinus: 8. *de Civ. cap. 25.* ait: Felices eos (Imp.) dicimus, si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorarium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur; sed se homines esse meminerunt, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum Maiestati eius famulam faciunt, &c. si pro peccatis suis humiliatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt.

SIGNVM LXXIX.

TITVLOS SVPERBOS RESPVE-
re, & statuas spernere.

Vide signum 78.

1. *Alexander* cùm omnibus libellis & epistolis Rex salutaretur, tantæ moderationis fuit, ut nunquam regium sibi usurparit nomen. *Alex. lib. 2. c. 19.*

2. *Cn. Pompeium* cùm post egregias in Africa res gestas, toto conspirante exercitu, Imperatoris nomine honestaretur, honorem renuens, nunquam in epistolis, aut chirographis hoc nomen usurpare voluit. *Plut. Alex. lib. 1. c. 2. Vide Signum 78. Exempla 6. 9. 10. 13.*

3. *Maximilianus I. Imp. Austriacus*, pluribus diebus ante mortem, nil nisi Maximilianus appellari voluit.

Kk 4

4. Imi-

4. Imitatus hoc nepos eius *Carolus V.* cum Imperio se vltro abdicasset, & in filium curas Regnorum cōtulisset. Secessit enim in Hispaniam, & in Diui Iusti Monasterio, 7. à Placentia militibus, se abdidit, cum 11. duntaxat familiaribus. Deo & quieti vacaturus; interdixit autem aliter se quàm *Carolus* appellari, *Cæsaris* atque *Augusti* nomina cum rebus animo exuens, & totum hoc honorari contemnens.

SIGNVM LXXX.

IGNOBILITATEM SVAM
libere confiteri.

1. **A** *Garboles Rex Sicilia*, figulo patre natus, ignobilitatem generis apertè fatebatur. Cum *Sicilia* potitus esset, Rexque declaratus, abacum suum fictilibus duntaxat instruebat, vel in *Aufonio*, vel in mensa fictilia vasa iuxta se ponebat, eaq; iuuenibus ostendens dicebat: Cum antea talia fecerim, (commonstratis fictilibus) nunc per vigilantiam ac fortitudinem talia facio, (commonstrans aurea.) Non puduit primò fortunæ, sed gloriosius existimavit Regnum virtute partum, quàm si hæreditate obuissset. Nisi Regem nasci nihil magni est, at regno dignum præstitisse, maximum est. *Plut.*
2. *Augustus Cæsar* nihil amplius, quàm Equitibus familia ortum se scribit veteri ac locuplete, qua primus Senator pater suus fuerit. *Suet.*

Vide de
Superbia.